



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dvx Spiritvalis**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.Xiii.**

Avctor Pio Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48784](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48784)

AVCTOR PIO LECTORI.

**H**IC Liber, Christiane Lector, est compendiarie quædam scientia rerum omnium, quæ ad vitam spiritualem pertinent; & ad veramque eius partem: vitam scilicet **ACTIVAM**, & **CONTEMPLATIVAM**, in quarum Actionibus perfectio nostra consistit. Est etiam **DUX** quidam **SPIRITUALIS**, non tam eorum peccatorum, qui malum peccati statum deserere, & per opera penitentiae seipsum iustificare contendunt; quam eorum, qui omnem diligentiam adhibuerunt, ut veram iustitiam consequerentur: in qua perseverare, ac proficere contendentes, feruenter pergunt per tres illas vias, quas **PURGATIVAM**, **ILLUMINATIVAM**, & **VNITIVAM** appellant, donec ad singularum earum supremum culmen perueniant. Et quoniam Intellectus dux est Voluntatis, quæ ex seipsa est potentia cæca: ideo Spiritus scientia, quæ perficit Intellectum, Fidei lumine donisque Spiritus Sancti illustratum, dux est certissimus omnium affectuum, actionumque à voluntate virtutum habitibus exornata, promanantium. Huius itaque scientiæ summam, siue Epitomen quandam continet hic liber, ut spiritualis perfectionis obtinendæ cupidi, in omnibus dirigantur, quæ ad eam obtinendam præstare oportet, ab ipsius vitæ Activæ & Contemplatiuæ rudimentis & tyrocinie

tyrocynio, vique ad perfectorum in vtraque  
 statum. Quare si TYRO sis in vtraque, mo-  
 dum & rationem hic inuenies vacandi scien-  
 tiæ! COGNITIONIS tui ipsius: in libro sci-  
 licet conscientiæ tuæ, miserias tuas meditan-  
 do: iudicium examenque tuarum actionum in-  
 stituendo, quo ab omni malo, & imperfecto,  
 quod in eis est, purgeris. Inuenies etiam quic-  
 quid pertinet ad b MORTIFICATIONEM  
 tui ipsius, rationemque aduersus carnis insul-  
 tus pugnandi, & aduersus proprium iudicium,  
 voluntatem, superbiam, inanem gloriam, ace-  
 tiam siue pigritiam, & alia his similia vitia,  
 quæ præcipuè sunt recidiuæ radices, maximi-  
 que puritatis, quam obtinere desideras, hostes.  
 Quod si in PROFICIENTIUM iam sis classe,  
 inuenies hic quoque partem illam eius sciētiae,  
 quæ te in eo statu constitutū concernit: incum-  
 bendo nimirū ac meditando in viuo libro c VI-  
 TAE Christi Domini ac Saluatoris nostri, San-  
 ctorumque eius, ad clarissimas ipsorum virtu-  
 tes imitandas: multaque documenta ad felicem  
 in eisdem progressum, præcipuè in magis heroi-  
 cis; quales sunt d Charitas, Spes, Obediētia, Pu-  
 ritas intentionis, Cordis custodia, & similes a-  
 lia: e variosque modos ORANDI, agendi que  
 cum Deo, qui omnibus vsui esse possint. Quod  
 si ad statum PERFECTORUM iam perueneris,  
 inuenies & hic perfectissimum, quod est in  
 scientia Mystica, quæ attollit mentē ad f CON-  
 TEMPLATIONEM, & VNITIONEM cum  
 Deo: fructusque operum heroicorū, quæ ab ea  
 prone-

a Tract. 2. c. 4  
 & sequenti-  
 bus.  
 b Tract. 4. à  
 c. 3.

e Tract. 2. à  
 cap. 95

d Tract. 4.  
 toto.  
 e Tract. 1. à  
 c. 12.  
 f Tract. 3.  
 .oto.

UX SPIRITUS  
 DE PONTE

veniunt, tam ad perfectionem propriam, quam  
 ad eandem in proximis procurandam. Et quo-  
 niam cognitio sui ipsius, propriaeque mortifica-  
 tionis studium etiã pertinet ad PERFECTOS  
 licet modo quodam excellentiori, & ipsa quo-  
 que meditatio imitatioque Christi Domini  
 Nostri, eiusque virtutum, & continuatus in eis-  
 dem progressus, simul inuenies supremam, quæ  
 in his omnibus est, perfectionem: quæ instar sit  
 Ducis, siue, cum eam pro teipso contendis asse-  
 qui; siue, cum alios diriges, qui de eadem obti-  
 nenda serid agunt. Quamobrem hic liber, vt qui  
 personarum aded diuersorum statuum, & in  
 via virtutis aded inæqualiũ Dux esse debet, ma-  
 terias complectetur etiam varias, & inæqua-  
 les: dum extollet interdum eas ad altiorẽ per-  
 fectionem, quam soleant assequi Tyrones iux-  
 ta suum statum & gradum, licet non altiorem,  
 quam possint, & verò meritò debeant desidera-  
 re, & ad eam aspirare: nisi cum perfectio ad id,  
 quod rarissimum est, & extraordinarium altius  
 assurgit, quod solet Deus ex priuilegio siagu-  
 lari suis Electis concedere. Omnibus tamẽ ex-  
 pediet, omnia et talia legere, vt ea statim am-  
 plectantur, quæ statui, & conditioni suæ sunt  
 proportionata; contendant verò ad ea, quæ il-  
 lam excellunt, admirantes rariora illa; & ve-  
 nerantes, quæ non intelligunt, qui non dee-  
 runt, qui intelligant, & eis fruantur, dan-  
 tes verò operam, vt tales sint, qui non cen-  
 seatur indigni, quibus tales fauores communi-  
 centur: siquidem manus Domini non est ab-

breuiata

AUCTOR LECTORI.

breviata; sed potens ijs, qui nunc sunt, easdem  
Gratias, donaque conferre, quæ prædecessori-  
bus contulit: Nec vlla est anima, quæ sit inca-  
pax boni, gratiæque, quã Deus alteri confert,  
modò illa se ad eam recipiendam disponat per  
ea media, quæ diuinus Spiritus suggerit, sicut in  
huius libri decursu indicabitur. Cuius quidem  
libri dispositio, ac distributio potuisset esse,  
quam hic insinuabimus, vt scilicet primùm a-  
geretur de ijs, quæ ad Tyrones in vtraque vita  
Actiua & Contemplatiua spectarent: Deinde  
verò gradus fieret ad ea, quæ sunt propria Pro-  
ficientium; ac demum ad ea, quæ Perfectorũ:  
sed, ne, quæ ad singulas virtutes spectarent,  
separarentur, de creui eam methodum  
tenere, quam in subiecta mox In-  
troductione indi-  
cabo.



INTRO.

DUX SPIRITUS  
PONTIS